

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# **BOLLETTINO**

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 170829b

Tuesday 29.08.2017

## **Letter of the Holy Father to the special envoy to the consecration of the new Church dedicated to St. Teresa of Calcutta in the city of Pristina (5 September 2017)**

On 15 July 2017, the Holy Father Francis appointed His Eminence Cardinal Ernest Simoni as his special envoy at the consecration of the new Church dedicated to St. Teresa of Calcutta in the city of Pristina (Apostolic Administration of Prizren), to take place on 5 September 2017.

The mission accompanying the Cardinal will be composed of:

1. Rev. Msgr. Luch GJERGJI, vicar general;
2. Rev. Don Shan Zefi, chancellor.

The following is the Letter of the Holy Father to His Eminence Cardinal Simoni:

### **Letter of the Holy Father**

Venerabili Fratri Nostro  
**ERNESTO SIMONI**  
Diacono S.R.E. Cardinali titulo S. Mariae Scalaris

Inter novensiles sanctos conspicuum obtinere locum sanctam Teresiam Calcuttensem omnes sat sciunt, quippe quae assiduam operam impensosque labores in pauperes debilioresque homines iuvandos contulerit. Ad omnem eius laudem insignis exstructa est Pristinae sacra aedes, quae non modo fideles exciperet, sacram liturgiam absolveret, et in ea sacramenta administrarentur, verum etiam illius caelitis virtutes exempla magnificaret

Quo templum hoc spiritaliter accommodatius videretur, consecrari statutum est, tum ut eius praestantia

augeretur, tum Evangelii laeti nuntii hominibus qui circa sunt praeberentur, tum denique bona opera, in humilioris ordinis potissimum beneficium, patrantur.

Quo ritus hic magnificentius perageretur, mittere statuimus eximium aliquem Virum qui partes Nostras inibi tueretur Nostramque simul mentem significaret.

Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, sine cunctatione decurrimus, qui, illius gentis filius, consentaneus visus es ad huiusmodi officium suscipiendum ac sustinendum. Idcirco te **Nostrum Missum Extraordinarium** renuntiamus et constituimus.

Ideo sacrae liturgiae praesidebis, dum Venerabilis Frater Dominicus Gjergji, Administrator Apostolicus Prisianensis, ipsum sacrum templum, sanctae Teresiae Calcuttensi dicatum, die V proximi mensis Septembris inter sollemnia rite consecrabit.

Exoptamus porro ut extollatur non modo venusta haec aedes, ventri et fides ipsa fidelium roboretur. Bona Nostra ideo verba omnibus significanti Nostramque cohortationem, tibi cumprimis Benedictionem Apostolicam elargimur, quam nomine Nostro et auctoritate universis adstantibus transmittas largiter volumus, et ea, intercedente Beata Virgine Maria ipsaque sancta Teresia, sit supernorum donorum nuntia et insigne animorum renovationis documentum, dum Nos a cunctis ad Petrinum munus efficaciter exsequendum preces simul petimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die I mensis Augusti, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS

---